# PAULUS STEPHANI J.U.D. SAC. THEOLOG. PROFESS. PAROCHIALIS...

Paolo Stefani

Digitized by Google

# PAULUS STEPHANI J. U. D.

SAC. THEOLOG. PROFESS.

*PAROCHIALIS ECCLESIÆ, ET INSIGNIS COLLEGIATÆ OPITERGENSIS*

DECANUS

ANIMARUM CURÆ TIT. PRÆFECTUS

*DE SACRORUM CANONUM USU IN REBUS THEOLOGICIS*

*AD V. C.*

MICHAELEM DIOCLESIUM

SAC. THEOLOG. DOCTOREM

VENETIIS MDCCXCV.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

144

Digitized by Google

143



# AD LECTOREM.

TEnuissimi Ingenij levitas hæc est. In ejus itaque commentatione, & ordine artem fortasse miram noli expectare, Lector humanissime, neque novam exhibendi rationem, neque in partium harmonia concinitatem, vel denique in eis mutuo nectendis atque evolvendis sollertiam. Fatebor ingenue; Eximia tibi debentur, & egregia. Nec satis. Subtili, atque splendidę orationis ornata scripta, stilo sententiarum ponderi pare, integro, robusto, vario, optimorumque ad exemplarium normam efformata, & studiosissime elaborata, conveniunt. Verum miseranda Scriptoris inopia, prætiosissimis hisce, summoque opere expectendis opibus, omnino caret. Quin ab artis pigmentis, atque ab adulterino fuco quam longissime abest. Quid igitur? Non desunt, qui de Juris Pontificum disciplina non magis, quam de puerilibus, fer- me dixerim, Studijs ad nauseam usque sentiunt. Morum istiusmodi, qui Erasmo dumtaxat accepti, & perjucundi esse possunt, pertæsus; sub rudi excogitati Alumni imagine, sine ulla orationis acerbitate, tanti



Digitized by Google

14 b



studij nobilitatem, atque in rebus Theologicis necessitatem, naturali quodam stilo [ unicuique sua lineamenta sunt ] adumbravi. Excerpta hæc a selectissimis, gravissimisque Auctoribus [ * ] atque laudata, perhumanitati tuæ, ac sapienti censuræ submitto. Et quamvis tanta inter me, & Sanctum Hieronimum, quanta maxima potest esse, scientiarum, ac eruditionum orbis, insuper insignis, enormisque ignorantiæ meæ, distantia; nihilominus in ferendo de hac levitate judicio, ne dimittas quæso, quod maximus ille Doctor ad Pamachium scribit: *Si turbidæ, & nebulosæ aquæ fluent non est alvei culpa, sed fontis. Ex quibus universis perspicuum est me nihil novi dixisse, sed majorum in omnibus secutum esse sententiam, qui de Ecclesiasticis dogmatibus disputaverunt. Lege Tertulianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium, & cum illis vel me accusa vel me libera.* Nil ex me procreare, recitare, comminisci, aut volui, aut debui. Vale.

PAU-

Digitized by Google

# PAULUS STEPHANI

*V.* C.

## MICHAELI DIOCLESIO.

QUod egregius ille tuæ disciplinæ Alumnus humanioribus primum Literis eruditus, incredibili deinceps diligentia, & industria strenuam Artibus præstantioribus navans operam: *Sacræ* tandem Theologiæ Facultatem præcipue amplexus; integrum tanti Studij cursum memoria, judicio, atque ingenio prope divinis quam felicissime absolverit; norunt boni omnes, eorumque voluntates, & laudes jure, ac merito testatas habet. Neque desunt omnium memores, & quodamodo indices, qui peculiari dicant cum celebritate: eo in Gymnasio Alumnus olim Græcæ, Latinæ, Etruscæque facundiæ tjirocinia posuit: ibi Eloquentiæ ru-



Digitized by Google

dimenta, atque literas politiores capessivit. naturæ penetralia in Achademia N. N. ſubtilissime ſcrutabatur: Sacri Codicis, altissimaque Divinitatis Mysteria, rara quadam ingenij facilitate assequebatur: ibi disertissime perorantem: ibi Philosophica: ibi Theologica arcana explicantem sapientissime, acerrimeque propugnantem accepimus; quin etiam e publico Sugeſtu de rebus divinis dicentem audivimus. Nemo (exultabundi prosequebantur) in Sacræ Theologiæ abditis explicandis promptior: nemo, Linguæ Sanctæ non ignarus, in dificultatibus enodandis facilior. Hisce Artibus, atque Scientijs, quod fortasse minus sæpe, quam utiliter pueritiam instituit, exercuit assidue adolescentiam, juventutem magna cum excellentia excoluit, provectiorem ætatem copiosissime locupletavit. Suspiciebant porro æqui rerum æstimatores præclarissimam præter indolem perspicacissimum ingenium, cultissimam græci, latini, atque italici sermonis elegantiam, nitorem, ubertatem, sensus animi, circumscripto verborum ambitu, efficacissime expressos; quodque caput est, quædam Scientiæ Theologicæ oracula, quibus se Achademiæ regendæ parem ostendebat. Quid igitur mirum, si, aucta de die in diem tantæ literaturæ fama Viris Sapientissimis, doctissimisque acceptissimus fuerit, apud quos jamdudum singularem sibi existimationem, benevolentiam, atque venerationem conciliaverat?

Ve-

Digitized by Google

Verum quantumvis hæc splendida sit, ac magnifica Studiorum, scientiæ potissimum Theologicæ comparandæ ratio; longe tamen splendidior, atque excelsior alia est, qua Theologus erudite, docte, perite, perfecteque disserendo honorificentissima sua munera duplici quodam Studij genere, tuto, graviterque exercere contigerit. Præsertim vel in proprijs ædibus consilia capiens; vel in sustinendo Diœcesis Orbe, suo Episcopo literarias, prudentesque suppetias ferens; in penetralia maxime verenda ingressus, de rebus dificillimis, sententiam, & eruditionis præsidium rogatus; vel ubi Religionis integritati consulendum, atque resurgentis hæreseos, temporum ad renovandos errores perturbatione abutentis, audaciam retundendam; vel in *Sacerdotio* gerendo, & impense sanctioris doctrinæ pabulo gregem sibi creditum pascendo, atque ad omnem virtutem informando; vel denique in Achademijs, ubi Sacra, & Polytica Respublica gloriatur se sortitam esse viros omnibus numeris absolutos.

Tanta Studij Theologici commoditate, prosperitateque Alumnus noster Theologi providentiam V. C., haud equidem inficior, implet; non tamen omnes explet optimi Theologi partes, quem non Religionis cultui tantummodo, sed Ecclesiæ non minus felicitati, studijs suis prospicere oportet. Non Orthodoxæ fidei notitiam nobis tantum exhibeat, ejusque obsequium, & venerationem



Digitized by Google

150



promoveat; sed Christianæ Reipublicæ animum intendat, necesse est. Abunde, ac magnifice Studio suo Religionis majestati, atque Mysteriorum sublimitati providit Alumnus; at morum integritati, ac sanctitati etiam a Theologo providendum. Nec satis est ut magnæ mentis curas, cogitationesque convertat ad Mysteria fidei explicanda, atque Religionem Catholicam perspicaci tuendam ingenio; verum & ab errorum, vitiorumque colluvie sarctam eam, doctrinarum pondere, tectamque servandam, ut incumbat, opus est. Porro nequaquam sufficit si Orthodoxam fidem declaret, & ab hæreseos monstris; nisi etiam ab infestis Sanctitati vitijs, ac moribus sinceram conservet. Verbo dicam. Non Divinorum Librorum Codex tantum, sed Sacrorum Canonum Codex, atque utriusque nexus, & concordia Viro Theologo ( & æque juris Pontificum Perito ) necessarij omnino sunt, ut tanti nominis, dignitatem amplissimam cum veritate, & cumulatissime præ se ferat.

Optimi Theologi gemina veluti basis est divina Sanctorum Librorum, Traditionumque auctoritas, & Sacra Jurium Ecclesiasticorum Potestas, fidelissima Traditionum custos, & conservatrix; quarum altera Theologus dogmata fidei, morumque doctrinam explanans, cultum, honoremque Scripturis Sanctis, atque Traditionibus vendicat; altera dogmatum fidei, & morum doctri-

Digitized by Google

doctrinæ felicitati consulens, amorem inspirat & obedientiam. Hinc sapientissime Patres Concilij Toletani. IV. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in Populis susceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas frequenter, admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones, ut opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat: atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* (1) Præverterat venerandus ille, doctissimusque Conventus, quod postea non Theologorum Principis dumtaxat (2) sed omnium præstantissimorum Theologorum, & Canonicæ Sapientiæ Peritorum consensu sancitum est. (3) Non sola videlicet Orthodoxæ fidei notitia, verum ad normam Catholicæ fidei recte vivere veram, sanctamque Religionem constare; atque illum denique perfectum absolutumque esse Theologum, vel juris Pontificum Peritum, in quo & inspiratæ Religionis Scientia, & Ecclesiasticarum Legum una sit cognitio. Hæc nimirum est pervetus Ecclesiæ disciplina de qua Concilium Carthaginense III. universale. Cum sola Sacrarum Literarum lectio, & in eis meditatio vel exacte diligens, non raro a quæstionibus obscurissimis, at-

que

Digitized by Google

que implicatiſſimis, immunis prorſum non ſit; & nunquam ſatis ad Sacerdotalia munera recte, probeque obeunda, niſi accedat & altera, Canonum ſcilicet Eccleſiaſticorum intelligentia, quæ culmen, vel baſis eſt conſumatæ Scientiæ Sacerdotalis. Voluerunt Patres, Edictoque ſanxerunt, Decreta Conciliorum ab Ordinatoribus Ordinandorum auribus inculcari. *Placuit*, Conſtitutio eſt Africanorum Epiſcoporum in Concilio jam jam laudato, *ut Ordinandis Epiſcopis, vel Clericis ab Ordinatoribus ſuis Decreta auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra Statuta Concilij feciſſe pœniteat.* (4) Contemplabantur procul dubio Africani Patres, quod jampridem Supremus Eccleſiæ Moderator S. Siricius Himerio Taraconenſi Epiſcopo indixerat: *Statuta*, ſcribebat Sapientiſſimus Pontifex, *Sedis Apoſtolicæ vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum.* Sacerdotum ſane eſt ſcire Legem Domini, & ad interrogationes reſpondere de lege, ut Hieronymus Clerum graviſſime admonebat (5) Quare Maximorum præcipue Pontificum, quibus nihil videtur auguſtius, nihil optatius eſt, quam ſe, ſuaque omnia, veræ, unicæ, ævitæque Religionis in columitati, & gloriæ devovere, adeo cordi ſemper fuit Sacrorum Canonum Scientia, atque admirabilis, quin neceſſaria, cum Studio Theologico ſocietas, ut ſummo Eccleſiæ diſcrimini

mini

Digitized by Google

mini Canonum inscitiam ( ceu causam regulis Patrum repugnandi omnino exitiorem ) optime, atque prudentissime deputaverint. Huc pertinet Epistola Cœlestini I. Episcopis per Apuliam, & Calabriam constitutis: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare* (6) Unde illud Boetij Eponis penes Doviacium Canonum doctrinæ mirifice convenit. Insignis hic Jurisconsultissimus, atque horrendæ Eruditionis Vir, Jus Pontificum: *Theologiam Rectricem*, *Theologiam Praticam* merito digneque appellat. (7) Doctori huic celeberimo adde Alvarum Pelagium, (8) & Melchiorem Canum (9) Theologos pietate, & exquisita doctrina præclarissimos, Joannem de Turrecremata juris quoque consultum, doctissimumque Theologum (10) & ea tandem, quæ in publicum deduxit Cosmas Guymerius Privilegiorum ab Apostolica sede Achademiæ Parisiensi concessorum emeritus Conservator doctrinarum, & eruditionum copia excultissimus (11) Intelligebant Magistri omni genere laudis excellentes, etiam Juris Canonici proprium, ac peculiare esse: curam scilicet adhibendi, ac veluti digito ostendendi: divinam illam Christianorum felicitatem, quæ in veræ Religionis cultu, atque divinissimarum virtutum studio sita est; quæ duo ad immortalem cœlestis Patriæ felicitatem ita nos habiles, & comparatos efficiunt, ut

eam

Digitized by Google

eam ipsam spe quadam certa prævertere, & prælibare contingat.

Nihilo tamen secius literariis illis opibus abunde dives Alumnus noster, contentusque; satis consultum putavit Theologico Studio, atque Theologicæ Dignitati; satis Theologici muneris indigentiæ; satis consilijs suis provisum, si prætermissa, quin imo prorsus neglecta, Sacrorum Canonum Scientia, solis Scolarum principijs, documentis, quæstionibus & toto ingenij conatu, totisque viribus incumberet. Neque exorari unquam potuit, ut in Facultate Canonica hospes saltem esse dignaretur; imo sponte oblatam strenue, fortiterque detrectaverit. Et hic est nævulus (quandoquidem V. C. tropologico, & figurato genere scribis) qui in tam pulcherimo corpore offendit. Melius nævum dixisses; magnum quidem, ac deformem. Sed modestiam tuam considero, laudabilemque prudentiam. Quid tam monstruosum in Viro se Theologum profitente, quam putrida, atque pudenda Sacrorum Canonum inscitia? Verum de hac tanta, & sane deploranda calamitate, viderint alij.

Quantum enim, quæso, illud est, quod repudiaverit? Cito dicam. Spiritum repudiavit; Vitam, atque Splendorem, quibus tantumodo Theologica Dignitas gravissimi sui muneris, suique Officij fastigium, & apicem æquare potest. Illum Ego cum Viris in omnium

disci-

Digitized by Google

155



disciplinarum genere eruditissimis, maximaque auctoritate valentibus; Theologiæ tractandæ parem existimandum censeo, qui optimi Theologi, Sacrarum videlicet Literarum, atque Traditionum gravissimi interpretis; omnia perfectissime impleat.

Præcipua Theologi munera (Theologorum, Sacrique Juris Peritorum nemine dissentiente, aut discrepante) profecto sunt: Sacras Literas, Traditionum præsidio interpretari: Fidei Mysteria, ejusdemque Fidei, ac Morum doctrinam, Traditionis pariter suffragio explicare, tueri, declarare. Christianam denique disciplinam necessariam, religiosam omnino, utilissimam, comendabilemque sapientissime ostendere. Primum, ut non huc illuc errantes, non vacillantes, sed certissimi, & maximo cum merito vivamus; alterum, ut rationabili cum obedientia pie, honeste, bene, perfecteque; postremum, ut serio, mature, reverentissime, & cum decentia. Tria hæc simul colligata, complexaque, ut unius veræ, divinitus inspiratæ, atque necessariæ Religionis professores fidelissimi vivamus, efficiunt. Hæc totius Theologiæ summa, hic scopus, hæc laus. Illud S. Siricij Pontificis Maximi ad Gallos Episcopos lubentissime sequor: *si una est fides, manere debet una Traditio; si una Traditio est, una debet disciplina per omnes Ecclesias custodiri*. Atque iterans dico:

Hæc

Digitized by Google

15b



Hæc totius Theologiæ summa, hic scopus, hæc laus. Siricio adstipulatur Nicolaus hujus nuncupationis I. *In fide*, inquit Magnus ille Pontifex, *& bonis operibus lex Christianorum subsistit* (12) ipsum, dixisses, Divinum illud Jacobi Apostoli testimonium concepisse animo, literis exhibuisse: *Ex operibus justificatur homo, non ex fide tantum, quia fides sine operibus mortua est*.

At molem hanc tantam, rerum numero, ac sublimitate immensam, quomodo sine firmissimo, costantique Sacrorum Canonum fulcimento, ac præsidio Theologus feret? Divinarum Scripturarum, atque Traditionum Sacratissimi Canones certo certiores, omnique auctoritate interpretes sunt, atque Dogmata Fidei explicantes, determinant. Universam morum doctrinam complectuntur. Exteriorem denique disciplinam, veluti e suo fonte, exhibent. Age V. C. Necessario hoc auxilio non munitus Theologus, quomodo, ne sufficienter quidem, munus suum implere poterit? Non id a Viris Sapientibus, ac doctissimis percunctor, quorum suffragia novi, sensus quodamodo intueor; sed vel ab eo uno, quem ab omnibus, atque a me dissensurum putamus.

Reliqua Scientiarum, atque disciplinarum munera humeris Professorum, & Alumnorum imposita suos habent fines, certosque magnitudinis terminos, quos mentis,

Digitized by Google

tis, ac virtutis præstantia transilire quodamodo, & prætergredi possumus; quin aliquando & suscepto munere, atque honore majores videri. At ubi ad eam disciplinam devenimus, quæ Supremi Numinis revelantis Majestatem recta, & proxime contemplatur; nullis videtur limitibus definiri; Quare nisi a principe Sacrorum Canonum Auctore, qui vicariam Dei potestatem apud homines gerens, sublime cœlo inserit caput; vel a fidelissima Divini depositi custode, columna, ac firmamento veritatis muniatur Theologus, eorumque subsidijs, & adjumentis recte, atque sapienter utetur; quomodo suorum munerum exercitationibus colophonem (ne dicamus initium) dare possit? infelix ego homo, ignorantiam meam ingenue fateor & nullo prorsus modo video.

Paucis profecto, sed graphice (quasi dixissem) in decretali *Quia nonnulli* Innocentij III. in Conventu Generali Lateranensi IV. (13) imaginem habemus completi, absolutique Theologi, ejusque gravissimi, atque præstantis muneris, & officij. Inde utriusque facultatis concordia, & societas miro quodam perpetuoque inita fœdere. Inde summa utriusque necessitas ad tanta, tamque periculosa officia obeunda. *Nos prædictum*, audiamus sanctissimi Legislatoris verba sapientissima, *roborantes statutum* . . . . . . *Sane Metropolitana Ecclesia*

*Theo-*

Digitized by Google

*Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes, & alios in sacra Pagina doceat; & in his præsertim informat, quæ ad curam Animarum spectare noscuntur.* Quam dilucide Theologi munus exhibet Summus Ecclesiæ Pastor; quam concine ejus partes, & officia conjunxit, quæ cæteroquin semidoctis, & cæcutientibus abjuncta adeo, ac dissita videbantur! Ars Artium est Animarum cura, Angelicis humeris formidanda. Hanc ferme totam a sacris Canonibus dirigendam; argumenta, atque testimonia a me Eruditorum nemo, opinor, desiderat; cum omnibus, Eminentissimo Purpurato de Turrecremata præeunte, jam a sæculis explorata sint, atque perspecta. Misso nunc debita cum veneratione primario omnium Scientiarum, imo rerum omnium fine; gravior profecto, atque urgentior finis, quo tendit uterque facultas, & singularis eorum intentio est Animarum salus. (14) *Prima salus est recta fidei regulam custodire, & a Constitutis Patrum nullatenus deviare.* Ab ineunte usque sæculo VI. ita docuit S. Hormisdas Pontifex Maximus (15) Sacra Pagina ab his interpretanda, qui & fidem nostram custodiunt, & scripturas sine periculo nobis exponunt; cum non liceat aliter de scripturis Divinis sapere, quam Beati Apostoli, & Patres nostri didicerunt, atque docuerunt. S. Irenæus, & Leo Magnus Auctores sunt (16) digito prope, & ipsi

osten-

Digitized by Google

oſtendente Sacrorum Canonum Conditores ; cum jus Canonicum jus poſitivum ſit, quod ex Scripturis Divinis, atque ex regulis priſcorum Patrum de rebus ad Dei cultum, ac Religionem pertinentibus a Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ traditum, conſtitutum, vel approbatum ad rectam fidei, & morum inter Chriſtianos conſtitutionem. (17) Sancto præmonente Irenæo, atque expertiſſimo Magni Leonis ducatu, ſtudioſe Alumnus, naviterque conſideret profundum S. Hermiſdæ Pontificis Sapientiſſimi breviloquium, deſcriptamque juris Canonici naturam, vim, atque virtutem; & inde non perbelle tantum, & comode ; verum ſatis ſuperque colligat quanti ponderis ſit, quantæque neceſſitatis muneri Theologico, ejuſdem juris Pontificum notitia.

Huc illud etiam incrementum accedat, Decretum nempe Tridentinorum Patrum, quo Theologicæ Facultati cum jure Pontificum affinitate devinctæ, imo rero utriuſque in Eccleſia Catholica neceſſitati, ſapientiſſime conſuluerunt. Accedat inſignis gloriæ ſplendor, decus videlicet, fama, & nomen, quibus Theologiæ, & Sapientiæ Canonicæ Profeſſores pariter, & ex æquo, ab omnium Sacrorum Conventuum doctiſſimo, illuſtrantur. Quin in Eccleſiaſticis Præfecturis, Dignitatibus, Officiiſque aſſequendis; loco deteriori quam Theologi non habentur juris Pontificum Doctores; atque ſi Dignitati

160



jurisdictio est annexa; allijs anteponi videntur (18) Eo preterea Sapientissimi Patres suæ Providentiæ sollicitudines converterunt, ut Scientiæ Theologicæ, juris Pontificum Peritiam; juris Pontificum Peritiæ adderent Theologicam Scientiam. Nimirum ut omnes intelligant non minorem Scientiæ Theologicæ reverentiam deberi, quam Sapientiæ Canonicæ; & in Ecclesia Dei non tam regnare Theologiam, quam juris Pontificum Scientiam. Absolutus ille, longe ab omni dubio, censendus Theologus: perfectus ille juris Pontificum Peritus; atque perillustri hoc nomine, omnium assensu, & prædicatione merito decorandus, qui utraque formatus est facultate, utriusque cultor, utrique impense addictus.

Prudentissimum Innocentij III. consilium, quo Theologico muneri providens, simulque sororiam præstantissimarum Facultatum necessitudinem, atque mutua officia facile nobis contemplanda profert; naturali quodam, perseverante, ac indissolubili rerum earum in quibus uterque versatur Facultas, vinculo; præclare, optimeque nititur.

Enim vero. Tria potissimum sibi peculiaria, ac propria vendicat Dei Optimi Maximi vera, & sacrosancta Religio. Fidem: Morum doctrinam, exterioremque disciplinam, quatenus Religionis cultui obsequitur, & exercitio. Fides ipsa, Fideique capita precipua; atque

mo-

Digitized by Google

161



morum sanctitas ab illo fonte unico, incomparabili: nempe a Filio Dei promant. Multa voci, ministerio, atque Apostolorum exemplo debemus. Cæteras vero Fidei, morum, atque exterioris disciplinæ regulas a Supremis Ecclesiæ Pastoribus, a Sacris Conventibus, a Patribus tandem Sanctis accepimus. Agendum sane est a Theologo de venerandis hisce Misteriis, atque dogmatibus: de Fide nimirum Orthodoxa, ejusque Doctrinarum concordia: de spe immortalis Felicitatis: de vita sanctiori, & morum Elegantia: de Religionis incolumitate, & gloria. Paucis dicam. Munere indissimulabili suo, Theologi omnino est, rectam universis virendi, sentiendique normam præbere; adversus hereses, superstitiones, ac vitia contendere. Quam ingens mihi V. C. se aperiret scribendi campus, si angustiæ temporis ferent! Sed multa prætereunda mihi, atque diferenda sunt, quę vel singula totam epistolam vendicarent. Juvat nihilominus Theologi munus inspicere, atque attentius contemplari.

De existentia, & unitate Dei, Personarum Trinitate, Divinisque Attributis, egregie tractandum a Theologo; de Præscientia Dei: de Predestinatione: de Angelorum hominumque creatione: de Animæ immortalitate: de corporum resurrectione: de æternæ vitæ proemijs, & supplicijs: de primi hominis lapsu: de Christo

 uni-

Digitized by Google

unico mediatore: de Sacramentis, eorumque effectu, & administratione: de Scripturis Divinis, earumque auctoritate: de Traditionibus: de Ecclesiæ unitate: de Primatu Romani Pontificis: de Jurisditione Ecclesiastica: de concordia Sacerdotis, & imperij: de iis, quæ per Leges, non autem per Canones concessa sunt: de Viduarum nuptiis inter luctus tempora: de rei alienæ possessore bonæ fidei: de concubinatu: de Patribus, & Maritis in adulteram in flagitio deprehensam: de Matrimonijs; de Divortijs: de Beneficijs: de Electionibus: de jure Patronatus: de Decimis: de Voto: de Regularium & Clericorum validis, atque invalidis votis: de jurejurando, & Periurjo: de Indulgentiis: de Hæresi: de Usuris: de Simonia: de juditiorum æquitate, alijsque innumeris prope, & infinitis.

Feret (liceat rursus percunctari) feret hæc onera, gravioribus certe quidem rebus implexa, involuta, & summe periculosa, Theologus quisque, etsi eruditissimus, Theologicis principijs, documentisque munitus, sed a præsidijs Sacrorum Canonum omnino imparatus? Quamvis Sacræ Theologiæ Mysteria, dogmata, præcepta, documenta, dificultates Alumnus hic noster capacissimæ solertia mentis deprehenderit, clare adeo complexus, & disertissime exprompserit, ut nihil tam sit abditum, ut latere; tam arduum, ut deterere; tam laborio-

Digitized by Google

borioſum, ut fatigare poſſit ferax tanti Alumni ingenium, cognitionem mirificentiſſimam; voluntatemque ſtudioſam, ac diligentiam; fidenter dicam, irrito incepto, opus miſerabiliter, atque fruſtra tentat, tantumque muneris nunquam adimplere poterit; neque res ſuas ad coronidem, tollerabiliter ſaltem, perducere. Quem virum, magna hæc, & ingentis ponderis, ſapientiſſimum, doctiſſimumque non opprimerent?

Horret animus meminiſſe V. C. acerbiſſimam illorum temporum calamitatem, quam Hiſtoricorum Faſtis, Oratorumque invectivis conſignatam, oculis percurrere nonunquam placuit. Diuturno ab hoſtibus Fidei, atrocique bello inſeſſa Religio, omnia cerneres diſſidijs erroribus, miſeriis calamitatibus perturbata. Regna in partes, Religionis cauſa diſtracta, inflamata, incerta; acribusque hæreticorum odijs convulſa, in bonos furentia, Religionis negletum; ubique vel amiſſæ deſiderium, vel amittendæ metus felicitatis; imo vero ne ipſa quidem uſquam reperiebatur umbra felicitatis, vel initium. Tandem ad illud novum, inauditumque, ſacrilegum, & impium facinus devenerunt; in publico nempe Foro comburendi Religionis, atque tranquilitatis Eccleſiæ propugnacula, & multos Sacrorum ſcilicet Canonum Codices, & Volumina. (19) Leget, mirabiturque tota, quam late patet, poſteritas novas, & inaſpectatas re-

164



rum viciſſitudines , atque incredibilem quamcumque calamitatem, miſteriarum pariter, ærumnarumque ſeriem; attamen, aut ego vehementer fallor, aut parem malorum Illiadem, apud omnem retro antiquitatem incaſſum querimus.

Nihilominus in ea tanta, tam ſæva, tamque triſtiſſima rerum perturbatione, num forte defuit velox aliquod, ac verſatile ingenium, rapidum, cum judicio præſenti, expeditoque, argutijs illis, quibus in ſchola aliquando velitamur, ditiſſimum, & quam bene paratum; veterum prepertim Theologorum selecta habens oracula, quod ( mala quidem Ave; e zelo, aſsentimur; ſed minus prudenti, minuſque conſiderato ) mutuo negleta, pacto, atque repudiata quacumque Sacrorum Canonum auctoritate; Diviuis tantumodo Literis, ſuiſque principijs, & ſcholarum argumentis Religionem tueri ſit agreſſum; non neminem quoque Catholicæ fidei hoſtem arrogantis ingenij ad perfidiam, atque ad turbandas rationes quaſcumque plane, aperteque natum; quique (licet ſanitas illa mentis non ſit, de ſe ſapienter judicantis, ſed ægritudo ſibi miſerime blandientis ) tot ſomnia ſua tot oracula crederet, atque impudentiſſime venditaret? Non defuit. ( 20 )

Singulare hoc juvenile, & incautum certamen quo tandem exitu? Conſilij, vel novitate, vel magnitudine,

vel

Digitized by Google

vel dificultatum, atque oppoſitionum vi deteritus Orthodoxæ noſtræ cumunionis defenſor, irito negotio deſiſtere coactus eſt; & indec ro, nihilque profuturo pudori habenas permittere. Tortuoſe alter, flexuoſeque Meandri more pugnans, longis anfractibus circumſcriptus minime exire valens, magno cum dedecore, atque juſta ſuæ ſectæ cum ignominia, fateri compulſus eſt, Theologica permulta abſque Juris Pontificum adjumento dilucidare, interpretari, digerere, proſequi, & conficere, impoſſibile eſſe. Non ſecus ei contigit ac aſſeclis ejuſdem Sectæ, qui concordes in reijciendis Traditionibus, concordes ea admittere coguntur, quando agere neceſſarium eſt de veritate Sacrarum Scripturarum, earumque vero, atque germano ſenſu. Impie quidem Calviniſtæ, & Lutherani abhorent a Sacris Traditionibus; verum Socinianos, novoſque Arianos Trinitatis Myſterium repudiantes, dum aggrediuntur; cuncti, & unanimes Traditionis patrocinium implorant, gratoque ſenſu complectuntur, cum non niſi Traditionum armis a Sacroſancta Romana Eccleſia, ceu conſenſu, ac Traditione univerſali totius Eccleſiæ mutuatis, Adverſarios proſternere valent. Quod Anglos inter Theologos egregie præſtitit Georgius Bullus in defenſione Fidei Nicenæ (21) Sed hæc innuiſſe ſatis. Si *ex auctoritatibus*, Innocenti III. Pontificis Maximi teſtimonium iterum exhibere

 præ-

,162



præstat, *Novi*, *&* *veteris* *Testamenti* *processerunt* *Canonicæ* *Sanctiones*: si tanta est Divini Codicis cum sacris Canonibus cognatio, & affinitas; quando nam in rebus Theologicis tractandis unum ab altero divellere, aut distrahere possumus?

Ea quæ ad Catholicam Fidem, atque arcana Religionis Mysteria, ultro concedere fas est, Theologi digne, & jure; quæ ad mores, morumque doctrinam, ac sanctitatem, Juris Pontificum Periti occuparunt. Verum nobilissimæ, & præstantissime disciplinæ, paulò ante dicebam, arctissimo societatis vinculo adeò conjunctæ sunt, ut neque Theologus Juris Pontificum plane inscius; neque Canonum Peritus Theologiæ omnino ignarus; non perfecte tantum, cumulateque, sed ne utcumque munera sibi peculiaria, ac propria exercere possint. Magna profecto sunt, atque excellentissima Theologi, & Canonum Periti nomina; sed parum est, Theologum, Jurisque Peritum dici, nisi tantorum nominum onera pari cum laude perferantur. Num cæcutit aliquando Theologus, ac vicissim Juris Pontificum Peritus alterutrius disciplinæ deficiente præsidio? Ita prorsus. Caret enim quam infelicissime Theologus fundamento inconcusse stabili, in quo locanda fidei pondera; urgenti premitur egestate Juris Pontificum Peritus carens fidei ponderibus fundamento superimponendis. *Majorum*, apte

qui-

Digitized by Google

quidem, appositeque Zozimus Sanctissimus quoque, ac sapientissimus Pontifex in Epistola ad Africanos Episcopos, *Canonica instituta veluti quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus*. Nempe eam esse (sapienter, ut solebat, atque ingeniose Joannes Baptista Bortoli in Archigimnasio Patavino totius Europæ celeberimo, olim illustris, ac magni nominis Primarius Sacrorum Canonum Professor, Magister quoodam meus, quem honoris causa nomino, inde Feltriensis Episcopus, tandem Archiepiscopus Nazianzenus, animadvertit) (22) regulas inter Canonicæ disciplinæ cum fide Orthodoxa cognationem, ut illę labefactari nequeant; quin fides etiam simul concidat. Nunquam sane fieri potest, ut credendi regulas a jure Pontificum omnino devellamus. Innumera prope disciplinæ capita Jus Pontificum suppeditat, quæ cum regulis fidei adeo conspirant; quin imo ab ipsa fide ita pendent, ut credendi regula, agendi regulam firmet, atque statuat. Jus Divinum de non Baptizandis iterum, qui ab Hereticis baptizati sunt, atque in sinum Ecclesiæ redeunt, præclarum est, significantissimumque exemplum. Legem hanc divinissimam, quam Stephanus I. fortissimus Martyr strenue, glorioseque tutatus est; Liberius deinceps, atque Siricius Pontifices Maximi, a regula fidei: unum esse Baptisma, promanare certum est, atque manfestum. Hinc agendi

regu-

Digitized by Google

regula, & regula fidei indissolubiliter junctæ. Hinc Baptizatum ad norman filij Dei instituentis amplius baptizari non potest. Hinc Baptisma pro ritu, recteque collatum, non iterandum. Huc pertinet firma illa, atque costantissima multorum Canonum fidei, multorumque Canonum disciplinæ concordia inseparabiliter conglutinata, quorum observantia sine fide, neque fides sine Illis consistere potest. Licet omnem copiam, facultatemque scribendi, argumenti magnitudo superaret, pro virili parte quamplurima istiusmodi exempla exhibeo in mea dissertatione: *de Supremo-Dogmaticis Episcoparum judicijs ec.* Et si reliqua desint, omnium instar esto Concilium Gangrense adversus Eusthatium, ejusque sectatores, legitimas criminantes Nuptias; Ecclesias Catholicas, Sacrorumque in eis Conventus, contemnentes. Varia sanctissimi Patres disciplinæ capita constituunt; & suis Constitutionibus simul Eusthatij errores fidem cum disciplina petentes, confutant, refellunt, juste, legitimeque proscribunt.

Ad hæc. Considerans Innocentius I. summus Ecclesiæ Pontifex Jus Canonicum ea complecti, quæ ad Religionem, Deique cultum, ac rectissimam Fidei, & Morum inter Christianos normam, atque formulam pertinere, norimus de quibus dubitavit nemo; ad interrogata Victricij Episcopi Rotomagensis Ecclesiastica respicientis

Jura;

Digitized by Google

Jura; respontiones suas ita præfari arbitrarus est: *Digestas, vitæ, & morum probabilium disciplinas annexit literis meis misi, per quas advertant Ecclesiarum regionis vestræ Populi, quibus regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat contineri:* Neque priscorum hæc Maximorum Pontificum fuit sententia, sed etiam recentiorum. Navim regendam conscendit Leo hujus nominis X. non cum Cœli serenitas, ventorum favor tranquilitatem promitterent, sed cum ingentes ubique attolli Hæresum fluctús, tristissimas circumundique impendere pestilentium opinionum tempestates videret, quarum una presertim Animæ rationalis immortalitatem recta petebat, traducebant nomen, dignitatemque contemnebat. Vix Pontificum Solium ascendit deterimam hand luem suis petendam fulminibus censuit. Ardens itaque, & erectus ad eam impietatem comprimendam totus ad majestatem Pontificiam compositus in Sacro Conventu Lateranensi V. Sess. 8. Anathema pronunciavit; & ab universali Ecclesia fortiter, sapienterque expulit, eliminavit, extinxit, atque reos tanti criminis (utinam neque iterum ætate hac nostra) gravissimis pœnis addixit. At providentissimus Pontifex secum reputans, ex falsis Philosophiæ principijs nefarios illos, ac nocentissimos errores originem duxisse; alterum pronunciavit Edictum quo tantam impietatem detestatus,

jus-

Digitized by Google

jussit Clericos omnes Philoſophiæ dantes operam, Juris Eccleſiaſtici studium simul conjungere, ut infectas Philoſophiæ radices, inquit supremus Eccleſiæ Doctor, Juris Canonici præsidio *purgare*, *&* *sanare valeant*. Hæresibus, & errorum periculis (circumfremebat undique hæresum Pelagus, suasque nobis immanes procellas, & jam jam voratura naufragia minabatur) vigilans ipse ad gubernaculum, atque stans, Jus Canonicum opposuit, quod præter Christianam disciplinam, fidei Catholicæ dogmata complectitur, & decernit; decernens divina munitum auctoritate, explicat, atque explicando, sibi indiſſolubiliter sacram Theologiam nectit.

Hinc usitatissimum illud apud sacrorum Canonum Collectores, non remotioris tantum, sed etiam propinquioris ætatis, transferendi nempe una simul Canones fidei, & Canones disciplinæ in unum, & eumdem Codicem. Id persuasissimum fuit Dionysio Exiguo, majoribus, ipsomet Dionysio, Ferando, Cresconio, Martino Bracarensi, Isidoro vulgo mercatori, Reginoni, Bucardo, Ivoni, Gratiano tandem, atque Decretalium Collectoribus. His adde præstantissimum illud, & cum paucis omnino comparabile ingenium Antonij Demochare Monchiaceni. Perillustris hic Theologus Parisiensis in sacra Theologia, atque Ecclesiastica Antiquitate ad miraculum, Achademiæque stuporem eruditissimus: ea, que

Theo-

Digitized by Google

Theologiæ *Polemicæ* vulgo adscribi solent ; ad Canonicam disciplinam intrepide, ne hæsitans quidem trahit in Præfatione Decreti Gratiani præfixa, in Editione Juris Canonici, cujus curam susceperat. Totus potissimum est ut demonstret, e priscis Canonibus in Codice Ecclesiæ distributis, novos errores indocte, & impie ab hostibus Orthodoxæ fidei somniatos, quam facile confutari posse. Hinc misere negleto, vel forsitan vituperabiliter contempto Sacrorum Canonum præsidio, Theologia erronea ; permulta videlicet quorundam Theologorum placita ab illo perpetuo, atque admirabili utriusque facultatis fœdere remota adeo, alienaque, ut Apostolica Sedes detestans, censuris repudiaverit, atque omnino repudianda decreverit. Hinc denique hæreses directo petentes tot sacratissima Jura, quæ Religionis, & fidei integritati, morumque honestati tam sancte, ac providentissime consuluerunt.

Producerem hic hæreses, quæ ortum suum Sacrorum Canonum ignorantiæ debent. Nimirum homines nonulla ignorantes, quæ contradictionis speciem (licet contradictio prorsus admirabilis sit, diversarum laudum concordi dissidio, temperata, atque conflata) inter utramque facultatem præferunt ; in errorem turpissime lapsos. Exhiberem quas a detestando, & abominabili negletu notitiæ Canonum capessendæ, originem duxisse novimus.

mus.

Digitized by Google

172



mus. Postremo recenserem, quarum ortus, & initium, flagitiosus dumtaxat est, ac nefarius Juris Pontificum abusus. Jucundum sane, & hic esset, abundans, atque opportunum referre quam sapienter, excellenterque firmissimis, solidisque sacrorum Canonum doctrinis Theologi insignes, & doctissimi, prope verba ab ipsis Canonibus mutuantes, hæreseos vires infregerint; ex nonnullis regionibus exturbaverint, atque vexaverint; alicubi pene extinxerint; ex opidis, hominumque profligatorum cœtibus ejecerint; magna Orientis parte depulsas, ac perditas exterminaverint; Catholicam Romanam fidem ubivis periclitantem strenue protexerint, atque tutati sunt. Sed mihi multa cursim, ac tamquam canis ex Nilo. Imo vero quid longinqua terribilium calamitatum ex Ecclesiastici Juris ignorantia, neglectu, vel execrando abusu promanantium exempla quærimus, cum nova quodamodo, cum recentia suppetant! An non defuerunt vel temporibus nostris homines Juris Pontificum ignari, in eo inquirendo negligentissimi, ejusque certa, atque veneranda doctrina indigne, indecoreque abutentes? Licet sacratissimi Canones consilio pleni, pietate, ac sapientia, Religionis omnia, atque fidei, optime disposita, parata, & constituta copiose, firmiterque exhibeant: sacris potissimum Templis reverentiam, festis diebus cultum jubeant, rebus Divinis frequentiam

sum-

Digitized by Google

summopere comendant, intemperantiæ modum, licentiæ frenos imponant, rectæ puerorum institutioni, judiciorum æquitati, omnium denique rerum, ordinumque statui prospiciant; novi lyncei, ut se videri volunt, eorum veneranda doctrina, sapientia, providentia, atque auctoritate, certo quodam modo superiores, omnia fere miscent, perstrepunt, conviciantur, resque ita persequuntur, ut involuant potius quam expediant. Tortuosa hæc ingenia, atque multiplicia Sacros Canones torvis, prurisque oculis intuentur; neque tantum Juris Ecclesiastici Auctores præcipuos, sacrorumque ritus ab ipsis confirmatos, receptas cæremonias, fundatissimas adprobeque stabilitas consuetudines; opera sua, cum infamia, & probro Christianæ pietatis, in odium permultorum, voculasque devenisse, plorantes lamentantur; verum in omnem carpendi occasionem intenti, opportunum adeo arbitrati sunt convicijs locum, ut quemadmodum ineptissimæ antiquitatis efrons imprudentia monstra cœlo affigere non dubitavit; haud secus istorum obtrectatorum insana, & cæca audacia, os pariter suum in Ecclesiæ cœlum (sui splendoris, suæque pulcritudinis securum) attollens, Avaritiæ, Ambitus, Artificij, monstra eidem appingere non veretur. Attamen infelicissimi isthmum stulte, atque incaute foderunt, & perpetuo fodient. Sed fortasse hæc satius fuisset non referre,

re,

Digitized by Google

re, ne cum jam querimonias jactem, Ephemeris rursus gloriosa ex aliquo ingentis famæ loco erumpat, qui styli, ingenijque homines commoneat, atque spem beatam faciat; vel carmen aliquod jam occentet, quod flagitium faciat. Profecto hæc dignitatis Theologicæ vel Canonicæ dehonestamenta prorsus nescit verus Theologus, verusque juris Pontificum Peritus.

At si unquam alias, tunc maxime tui Alumni V. C. negligentia, & error, quem hactenus leviter attingimus, emineret, si ipsi quamplurima exterioris disciplinæ tractanda forent, quæ omnino propria sunt, ac peculiaria Juris Pontificum Professoris. Qui legem Theologicæ dignitatis putat a juris Pontificum studio abstinere; aberrare se, ac falli tandem senserit, si versari interdum oporteat in argumentis *de Electione meritisque Sacrorum Præficiendorum, de collatione Beneficiorum, de jure Patronatus, de Episcoporum, & Parochorum jurisditione, de Parocho actuali, & habituali, de curæ exercitio, de cura Actuali, & jurisdictionali, de consensu Parochi actualis ad Sacramentales Confessiones audiendas, & alia Sacramenta administranda, Deique verbum in sua Parœcia prædicandi, de jure privative Parochi attualis in seligendis cooperatoribus, alijsque agendis ad curam spectantibus, de cura neque directe, neque indirecte comissa, sed ex præcepto, onera subeundi*

Digitized by Google

*di & officia personalia, tantumodo deducta; de principali, & accessoria obligatione ad horas Canonicas in Choro recitandas, de Privilegijs, de Censuris*, alijsque prope innumerabilibus. De his profecto Theologos nonunquam agere, ( quin sæpe ) compertum est, quos inter permulti judicio summo, doctrinisque selectissimis, necessaria sacrorum Canonum auctoritate protectis, non sine magna, atque justa sui nominis laude id fecerunt. Quid si hæc, similia, vel paria Theologus, juris Ecclesiastici plane ignarus, persequatur? Non quæramus, V. C. quæ monstra opinionum. Magistros igitur in utraque facultate doctissimos, usu, atque experientia Per illustres dum constantissime sequor; rursus dicam, neque Theologiæ operam navantibus inculcare me pœnitet: Theologos nempe, Juris Ecclesiastici omnino expertes, atque indoctos, licet documentis, auctoritatibus, eruditionibus, & argumentis ornatissimos, gradu suo, ac dignitate sublimiores veneror quidem; verum Templa mihi videre videor Splendidissimis Aris decorata, exquisitis instructa Tabulis, sacra Suppellectile ad pompam, pene dixerim, ac luxum ditata; at fundamento stabili, & inconcusso, quin superficie, soloque ipso, quam valde egentia. Quare sapientissimum illud, acutum, atque ingeniosum S. Cypriani Martyris in hanc sententiam apte quadrat: *Disciplina* ( quam certe maximo

17b



ximo cum virtutis zelo complectuntur, servant, custodiunt, atque tuentur Sacratissimi Canones) *est fundamentum Religionis, custos spei, retinaculum Fidei, & dux itineris salutaris.*

His igitur duobus plane regulibus disciplinis instructus oportet, ut sit Theologus, & Juris Pontificum Peritus, unde alteruter non tantum nomine tenus, sed re ipsa appellari possit. Hinc pervagata penes exteros Theologos, jurisque Sacri Doctores sententia, qui hoc sæpe disertis verbis professi sunt: cæteras se quidem omnes Europæ propemodum Achademias obijsse; majorem alicubi Professorum, atque Auditorum numerum; sed plus utilitatis, solidæque Sapientiæ, ac doctrinæ, elegantiæ, decoris, dignitatis, & splendoris, quam in his Achademijs, ubi Theologicis, & Canonicis studijs juvenes opportune imbuuntur, atque erudiuntur; nullibi unquam vidisse. Neque tantum id asserebant, sed factis de hac docendi ratione, modoque, famam extendentes, Alumnos suos, in utroque studio exercebant, qui non raro ad amplissimas postmodum provecti sunt Dignitates, atque mirum in modum Christianam Rempublicam doctrinæ, prudentiæ, ac sanctimoniæ splendoribus illustraverunt. Quam multi hæc, quam vere prædicarunt; quam nemo hactenus laudavit satis, ac miratus est! Rata igitur esto clausula magni, egregique Theologi,

atque

Digitized by Google

atque preclarissimi Magistri Melchioris Cani, ab initio usque sinceris laudibus celebrati: inepte scilicet, imprudenter, periculose, impudenterque se gerere Theologum, si in rebus suis tractandis, jure, & opera Pontificum non utatur.

Cæterum. Novam Alumni tui ideam, insolitam, distortissimamque expendens, non omnino mihi imperare potui, ut silerem. Vidi egomet juvenes Theologico studio operam dantes; & juvenes Juris Ecclesiastici studio; de altera disciplina, adeo rudes, & ignorantes, ut cum illis profecto comparandi, qui Paulo responderunt: *sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*. Privatis eorum literarijs contentionibus, quo fato, quave fortuna, nescio, aliquando cum interfuerim, Batrachomijomachiam ab Homero elegantissime conscriptam visus sum mihi videre. Novi pariter Adolescentes Theologicæ disciplinæ serio, & applicatiore nexu inhærere, juri Pontificum incuriose, leviter, atque superficie tenus, juvenes quoque Sapientiæ Canonicæ operam graviter navantes; Theologiæ vero parum admodum, ac indiligentissime Tyrones alioquin rudes, atque indocti, perperam, præpoſtereque opinantes, tantam esse jus inter Pontificum, & Sacram Theologiam, simultatem; sejuncta adeo, atque longe poſita utriusque Facultatis officia, & partes, ut coire invicem, & coalescere, non



Digitized by Google

posse crederent; quod altera ex adverso principijs, argumentisque constat, quæ planissima sunt, & quodamodo popularia, unde Scientia quædam videtur facilis, ac blanda attentionis, atquæ spontaneæ persuasionis conciliatrix. Altera studiosum rapit in speculationes, reconditasque interpretationes; sublimia ad huc attollit, ac secernit, ab exercitio plano, & argumentatione minime contentiosa. Miserimam hanc ignorantiam, innenarabilem, periniterque deplorandam, vel cogitare quidem V. C. in Alumno tuo, piaculum omnino esset. Non igitur fortasse miramur, quod studium juris Pontificum neglexerit: quod ea fuerit firmitate, & constantia (ne dicamus insipientissima pervicatia) unde quantum ad necessitatem, utilitatemque Juris Canonici afferebant Præceptores, & amici; tantum ad eos ferme contemnendos roboris habuerit, & nihil ab eorum doctissima, atque sapientissima persuasione permoveri se, ad amplectendam Juris Ecclesiastici disciplinam, ac incitari non sit passus. Sed illud nunquam satis mirari sumus, quod novitatis nullius, nullius prætij, roborisque, nullius magnitudinis momentis, vi quacumque destitutis, & abjectis impulsus; tam Fortiter, tam constanter, quin insane, ad eam assequendam facultatem, detractaverit. Quid enim tam leve, vanum, atque futile quam arbitrari e Theologica esse dignitate disciplinæ operam dare

cu-

Digitized by Google

cujus fontes, Divines præsertim Codices, Theologus ex munere sibi peculiari, ac proprio interpretari oportet? Studium, exagerat Alumnus, in quo nullam ferme reconditam Doctrinam inveniri permulti existimant. Studium ad Fori politiam potius pertinens. Studium, cujus Sacri, & inviolabiles Codices Apocrypha nihilominus, innumera pene proferunt. Studium denique quod vel ipsi Pontifices Maximi humanum appellant. Num vera hæc? quin imo. Num innania, prorsus stulta, ac falsa, quæ nemo sapiens, nemo vel semidoctus non contemnenda, ac ridenda arbitratur? Num ingenio tanto, tamque erudito digna? Nihilo tamen minus, ne a me temere quidquam dictum putet Alumnus ille tuus, singulas per suas partes, obiter excutiamus.

Primum enim quicumque S. Vincentij Lirinensis documenta æstimando recenset, facile noverit Alumnum V. C. delirare potius, quam saltem hisce de rebus tolerabiliter sentire. Acute, ac sapienter explicat Sanctus hic Scriptor Divini Codicis obscura, occulta, atque involuta mysteria, de una eademque re diversimode penitus aliquando disserentis. Moysis, ac Prophetarum Libros ingens Alumnus percurrat. Quæ tanti discriminis ratio? ideo, inquit bonorum Scriptorum Sapientissimus, quia Divinus ille Codex tam alte loquitur, ut non uno, eodemque sensu universi accipiant, quæ



Digitized by Google

.180



ibi scripta sunt: *Quia Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine, non uno, eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter, alius, atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videntur: iccirco multum necesse est propter tantos, tam varios erroris anfractus, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.* Quamvis in Libris Divinis (licet ibi esse videantur) nulla prorsus esse possunt Antilogomena, Dei namque verbum sibi ipsi adversari, ac repugnare nequaquam potest; de eis tamen, atque de cæteris Sacris ferme innumerabilibus arcanis Theologum præcipue agere necesse est. Interpretatur quidem Theologus ex proprio, ac peculiari munere Sanctos Libros; sed nunquam sane majori cum certitudine, nunquam majori cum sapientia, securitate, & veritate, quam interpretando ad normam Divinæ, & Ecclesiasticæ Traditionis. Hanc dubio procul, priori loco Sacratissimi Canones, in omni interpretum ordine potiores; non solum zelantes custodiunt, atque tuentur, verum ad ejus normam, præceptiva, atque potestativa interpretatione; Sacros, Divinosque explicant Libros. *A Libris* (iterationem perpetuo animadvertat Alumnus) *utriusque Testamenti* promanat Jus Pontificum, simulque ema-

Digitized by Google

emanans, præcipiendo explicat Divinæ Scripturæ sensus. Qua explicatione nihil certe tam manifestum, atque notum, nihil tam indubitabile, ac tranquillum. Declarant Divinum Codicem, atque declarando, præceptis nos instruunt, atque docent Sacri Canones Spiritu Dei conditi, atque totius mundi reverentia firmati. Quo Spiritu, quave auctoritate explicantes (qualibus, & in quantiscumque rerum adjunctis) verum præstant, atque germanum ostendunt Eloquij Divini sensum. Infinitæ prope sunt Sanctarum Scripturarum interpretationes hujuscemodi, Viro Theologo, vel peritissimo, non perutiles tantum, sed prorsus necessariæ Tantæ utilitatis, tantæque instantis necessitatis potentissimum argumentum nobis exhibet unus inter multos, ex antiquioribus Ecclesiæ Patribus S. Ireneus: *Ubi Charismata Domini posita sunt; ibi discere oportet veritatem, apud quos ea est, quæ est ab Apostolis Sucessio: hi & fidem nostram custodiunt, & Scripturas sine periculo nobis exponunt.* (23) Nec immerito quidem; cum *non liceat*, ad rem, & apposite S. Leo Magnus, & Doctor Egregius, *aliter de Scripturis Divinis sapere, quam Beati Apostoli, & Patres nostri didicerunt, atque docuerunt.* Et quidem. Ubi nam, quæso, gentium, vel de ipsius Lutheri, Calvini (ab indigna, ac turpissima rebelione ad huc contuma-

ces , & refractarij ) atque Sectariorum sententia , deposuit Christus Charismata sua , nisi in una Sacrosancta , Catholica , Apostolica Romana Ecclesia , in qua dumtaxat est intemerata , inviolabilis , atque irreformabilis Apostolicarum Doctrinarum successio ? ( 24 ) inde supremi ejusdem , Ecclesiæ Pastoris verenda Decreta ; inde Sacrorum Conventuum sapientissima placita ; inde tutissima Sanctorum Patrum Documenta ; verbo dicam : inde Sacratissimi Ecclesiæ Canones , Divinarum Scripturarum in expositione , atque declaratione , omnis anxietatis , omnisque periculi prorsus expertes . Ex hac igitur parte noverit Alumnus quantæ amplitudinis , quanti ponderis , quantæque auctoritatis ( expositionem quamcumque particularem , atque auctoritatem , omnino præponderantis ) vel ad Sacri Codicis declarationem , sint Ecclesiastici Canones , seu Pontificum Jura .

Ignobiliore tamen e Fonte , nequaquam illine tantus Alumni tui in aquirenda Sacrorum Canonum scientia neglectus , & nauseabilis aversio ; originem duci Theologicæ facultatis sublimitate , atque glorioso , verendoque Theologi nomine intumescens ; ne in limine quidem Jus Pontificum salutare , dignatus est . E dignitate quoque Theologica , opinabatur , studio operam dare ( quæ deplorabilior , quæ stultior quæve impotentior superbia ! ) occultiorem nullam , reconditamque literaturam , atque

eru-

eruditionem comprehendenti. Longe profecto a veritate distare stupidam hanc, atque ineptam tanti Alumni excusationem; non res tantumodo ipsa per se, verum insignes Theologi, ac Juris Pontificum Professores paulo ante allegati; satis abundeque demonstrant. His, præter *Glossematum* Auctores; perantiquos Juris Canonici interpretes, Balduinum videat, Duarenum, Canisium, Copinum, Grijonium, Florentem, Dartis, Gonzales, Fagnanum; addat lubenter Alumnus Cabasutium, Antonium, Augustinum viros purpuratos Baronium, Bona, Bellarminum; præterea Petavium, Sirmundum, Labeum, Petrum de Marca, Stephanum Balusium, Doviacium, Justellos, Voelum, Blondellum, Dupinum, Fleurium, Dalæum, Mornæum, Van-Espenium, Fontaninum; summo studio eorum legat opera, evolvat; & inde ex Ortodoxis nempe, vel Etherodoxis Scriptoribus (caute, & cum debita facultate legendi) quos hic exhibemus; facile, dilucideque patebit, literarum, atque eruditionum supellectile admodum quam copiosa opus habeat Sacrorum Canonum studiosus, ut veram, perfectamque Juris Pontificum notitiam assequatur. Noverit Alumnus Juris Pontificum studio operam navanti necessariam esse Sacræ Theologiæ Scientiam; non omnibus plane numeris absolutum fore Sacrorum Canonum Studiosum, qui Divinarum Literarum, Theologiæ ni-

mi-

Digitized by Google

1854



mirum, rudis penitus fuerit; concedimus, & sincere fatemur; nec minus affirmare cum Doviacio audemus, vix quemquam, saltem mediocris nominis, inter Theologos exiturum, qui Sacros Canones, præceptorios Divinæ Scripturæ interpretes, ignoraverit. Legum Civilium prudentiam sibi necessariam noverit, Historiam utramque Ecclesiasticam, & Profanam, reconditarum literarum profundam eruditionem, antiquæ memoriæ cognitionem, acre & insuper judicium, singularem Criticæ Scientiæ peritiam, qua latentiores rerum origines pertentare valeat; cætera tandem Scientiarum, & Linguarum præsidia. Noverit deinceps, Jus Pontificum disciplinam esse a recta prorsus ratione, Divinaque (reclamantibus fortasse hæretica plenis nigredine) omnino ductam, artibusque præstantioribus excultam. Demum noverit, accedentes ad Juris Canonici facultatem a maximis hisce, necessarijsque præsidijs imparatos; terere ætatem, & quam misere oleum, & operam perdere.

Et quamvis Jus Ecclesiasticum nobis aliquando proponatur ratione habita ad Forum judiciale, in quo Formularij nonnunquam, vel Legulæii extolluntur ad cœlum; adhuc scientia nobilis est, honorificentissima, & præclara. Non equidem inficior tam grandem Scientiarum, & Eruditionum copiam exercitio forensi sicuti

exer-

Digitized by Google

185



exercitio Achademico, necessariam esse; nihilominus Scientijs, Artibus liberalibus judicio summo, prudentia magna, magnaque rerum experientia Juris Canonici Consultum opus habere certum est, atque notum. Testis unus hic esto Renatus Chophinus vir ad literarum studia reapse natus, Sacrorum Canonum Scientia, & Legum Civilium peritia eximius, atque excellens, in suo celebratissimo Opere: *De Sacra Politia Forensi* Henrico III. Regi Franciæ nuncupata. Nos vere studium V. C. atque Juris Pontificum disciplinam modo contemplamur, quam in sua Diæcesi florescere peroptabat Magnus ille Venerabilium Episcoporum exemplar S. Carolus Boromeus: *Canonum ea Scientia*, ita gestorum tanti Præsulis, Sanctissimique, Scriptor, *ipsi perjucunda erat, quæ Patrum Mores, & Acta representans Ecclesiæ componendæ, atque ornandæ rationem continet. Dolens autem eos communi consuetudine tantumodo Canones selegi, qui ad lites, judiciaque valent; constituit ipse, qui iis declarandis, præesset, unde sacra majorum instituta, & virtus, optimaque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur.* Totum Facultas hæc requirit hominem. Tota quidem, ac abundantior ad completam, atque absolutam studij hujusce perfectionem, scientiarum illa series, artium, literarumque omnino, ac prorsum desideratur. Neque eis ad orna-

rum

Digitized by Google

158



rum dumtaxat, vane, atque ad popularem auram, tinctus noster Juris Pontificum studiosus; sed profunde, solideque imbutus sit, atque instructus gravissimæ, & non raro lubricæ disciplinæ immensitate si utiliter fructuoseque operam dare contendat. Hinc non sola pompa, aut sola præstantissimorum Scriptorum ostentatrix nomenclatura: non sola Titulorum, sive cujuscumque operis inscriptionum recitatio, unde ambulantes Tituli aliquando appellantur: non sola optimorum Typographicorum electio: non gloriosæ tantum, at jactantes Epistolæ: non Denique sola ostentatoria factorum novitas, quæ in Ephimeride animi causa legimus. Externa enim hæc sunt, & ambigua veræ Literaturæ insignia, quæ scenicæ quandoque, ac personatæ Literaturæ famulantur. Scientem, Peritumque Juris Pontificum dicimus, qui vere scit Canonicam Sapientiam: qui modeste, ac moderate se scire novit: qui opinionem suam fundamento firmissimo, atque inconcusse stabili innixam profert: qui tandem paratis oppositionibus ita probe, docteque satisfaciat, ut Adversarius ipse vel pertinax, & repugnans in eamdem veniat sententiam, confirmet, laudetque.

At medullam hujus negligentiæ nondum attigimus. Majus aliquid superest; & si libet, brevi quodamodo occulorum conjectu, alteram ejusdem negligentiæ causam

sam

Digitized by Google

157



sam percurramus. Humilem adeo, atque vilem prope dixerim, abjectamque, de jure Pontificum opinionem nutriebat, ita scribis V. C., ut illud quasi contemptui haberet. Jactabat se a viris emunctæ naris, doctissimis, gravissimisque didicisse, & quidem non semel, non bis, sed iterum, ac sæpe: in Codice Canonum, quo Juris Pontificum Periti utuntur, in Collectione nimirum Gratiani permulta inveniri conficta, sine auctore, falso adscripta, contraria, corrupta aliter, quam sunt, in Authenticis detorta, mendose relata, omissa, quæ ad rem; addita e Manuscriptis; ex Glossa ordinaria, quæ Patribus tribuuntur; ex bonis Græcis latina pessima; Hieronymi tributa Augustino, Gregorio, & Silvestro; Clementis Lucio; Prosperi Augustino; Pascasij Augustino; Hermetis eidem Augustino; ex varijs diversorum permixta; antiquorum Pontificum varie relata. &c. Hinc dictu incredibile est, disciplina Canonica quam vilescebat apud Alumnum. Non ineruditam dumtaxat, non insipidam, non inutilem; sed Sacræ Theologiæ Studio perniciosissimam, repudians, arbitrabatur.

Calamitati huic tantæ, ac tam lacrymabili jam olim occurrerunt Romani Emendatores doctrina, auctoritate, atque sapientia singulariter honorabiles, alijque viri insignes, atque eruditissimi. Verum Alumnus noster

ita

Digitized by Google

ita cogitans toto cœlo errat; quin in errore tam ingenti perseverans, sua pace dixissem: Hypsea cæcior est. Infirmissima hac de causa, folijsque exiliore, negligat necesse est Alumnus, Gramaticos, Rethores, Philosophos, Historicos, Juris Consultos, Mathematicos, ipsosque Theologos; cum vel eas in artes liberales, atque nobilissimas disciplinas Apocrypha ferme innumera, falsa, corrupta irrepserint. &c. Viri literatissimi, qui magni famam ingenij, atque absolutissimorum Criticæ Scientiæ Professorum nomen, jampridem apud cultissimas nationes jure; ac merito obtinuerunt, doctissime non minus, quam facile edocendo, ostendunt. ( 25 ).

Perspicue equidem novimus in Collectione Gratianæa, quam nec Maximorum Pontificum Pij IV. Pij V. & Gregorij XIII. gravissimis testimonijs cultuque nostro, ac veneratione dignis, authenticam probare minime audemus; quapropter Codicis illius Canones, ac si extra ipsum vagentur, consideramus, atque ad suos fontes, unde emanant, reducimus; novimus inquam, cum Antonio Augustino, quem virum Deus immortalis! *sæpe erratum a Gratiano in nominibus Hominum, Urbium, Provinciarum, Conciliorum. Sæpe falsæ sunt inscriptiones, & quæ Conciliorum sunt, Pontificum maximorum esse dicuntur; & quæ sunt unius Episcopi inferioris Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel*

*Pro-*

Digitized by Google

*Provinciali tribuuntur. Multa Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe dicuntur, quæ aut nuſquam extant, aut aliena ſunt illa quoque, quæ inſcriptiones veras, non recte referuntur. Sæpe enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſæpe valde præciſas. Jam vero, quæ ex grecis fontibus manant, ex varijs interpretationibus referuntur, quaſi ſint aliorum Scriptorum, ac ſæpe aliud græce, quam latine ſignificant.* Paucis tandem. Novimus in ea Collectione, atque in alijs multis in publicum multo ante deductis, complures Canones, Constitutiones Apostolicas Clementi adscriptas, nonulla Statuta, leges aliquas, Dictata, Epistolas Decretales ab Isidoro Mercatore collectas (qua larva hispana in totam Galliam introductas, Reculpho Episcopo Mugontino vulgante, ignoramus) & alia, quæ minus cautis Jurium interpretibus fucum fecerant; ad quisquilias profecto amandanda. Verum non meas, non populi, neque Literatorum preces, neque Hæreticorum quærelas, expectarunt omnibus modis doctissimi, atque perillustres bene multi Orthodoxi. Longe ante Monumentorum falsitatem detegendo, atque nebulonis comenta refellendo cæteros omnes præverterunt. Hinc fidei Catholicæ hostes ea opportunitate Religionem præmere existimantes, summo cum labore ad illa eadem Monumenta convellenda nihilo-

hilominus aggreſſi ſunt. Quid itaque? totis viribus oſtium apertum infringere conati ſunt; ſicuti non modo acute, ſed hilaris, atque riſu dicere conſueverat Celebratiſſimus Sirmundus. Quin imo in eis documentis regeſta, ſolidius reipſa, atque fortioribus argumentis firmarunt; quos inter David Blondellus & ipſe hæretica pravitate infectus (26). Novimus præterea vel in ipſis Authenticis Decretalium Codicibus, quæ ex adverſo ponunt Cap. X. de Teſtament. ex Decretali Alexandri III. quæ Cap. III. de Spons. Duor. ex Decretali ejuſdem Pontificis Maximi: quæ tandem Decretali Cœleſtini III. (non a Gregorio IX. exhibitæ in Cap. I. de converſion. infidel., ſed a Collectione, quam ſecundam appellant) hæc, & alia multa non ignoramus, neque nobis occultum eſt. Adverſarios rationibus, tabulis, ac teſtimonijs victos, Palinodiam cantaſſe. Hæc tamen, & hujuſcemodi alia nullo modo vanam reddunt, & inutilem, multoque minus ei detrimenti ſunt, ac jacturæ Sacrorum Canonum Diſciplinam; neque tanti Studij ad Theologicam facultatem recte, perfecteque capeſſendam toties prædicatæ neceſſitati aliquid profecto adimunt, neque prorſus adimere poſſunt. Complectus eſt, imo exuberans, ac pene infinitus germanorum Canonum numerus: omnia ad Catholicam Fidem, morum Doctrinam, Diſciplinamque exteriorem: ad totam nempe per-

fectæ

Digitized by Google

fectæ hujus, atque absolutissimæ Scientiæ intentionem necessaria, atque utilia amplexu tenens. Apocryphorum numerus comparate non par, non æqualis, quin nullo modo computabilis. Apocryphis ad certam antiquæ memoriæ cognitionem nequaquam utimur: errata, si quæ sunt, vana, & ridicula, cum Romanis Emendatoribus, Baronio, Petavio, Peronio, Bellarmino, Humberto, Melchiore Cano, rejicimus, & repudiamus. Fidei Catholicæ, morumque sanctitati, & Christianæ disciplinæ consentanea, atque utilia, congruo cultu, & observantia prosequimur. Ea igitur nihil officiunt perfectioni Scientiæ Juris Ecclesiastici; nihil hujusce ſtudij necessitati; nihilque sui præsidij beneficentiæ; imo vero recte feliciterque demonstrant Scientiam amplivagam, nobilem, præstantissimam, politioribus literis, Scientijs, eruditionibus, Linguarum studijs comparandam. Acuunt ista, non revocant Juris Pontificum studiosum, pigritiæ, aut ignaviæ, vanitatique, & inutilitati omnino adversum, ac repugnantem; quin comendabilior animi sui dispositione eo duntaxat imcumbente, ut Orthodoxæ Religionis integritas, incolumitas, atque gloria quam utilissime splendescat. Neque Excellentissimæ hujus disciplinæ dificultates, atque occurentes complicationes Studiosum perturbant; intelligit namque hos obices, ac eas dificultates non impedimentum ad optatissimam stu-

D dij

dij perfectionem, atque consilia, quæ fortaſse meditatur; sed incitamentum eſse allaturas; & quo gravioribus cum dificultatibus conflictandum foret; quo major dificultatum vis, & laborum urget, eo majorem Studiosi laudibus, virtutibusque materiem præberi, ampliorem que se aperire campum ad uberiorem bonorum sui studij segetem colligendam. Et sane. Quotiescumque illorum caliginem temporum cum ea comparo serenitate, ac luce, quæ immensæ, atque interminatæ Criticæ Scientiæ Peritia dominante, Sacrorum Canonum Studijs affulsit; toties mihi videor in illud judicij venire; occulta quadam superum deliberatione, idcirco tunc temporis ademptam veluti necessariæ hujus, ac perutilis disciplinæ expetitam felicitatem, ut eam sæcula nostra ingenti cum fœnore omnibus in posterum sæculis innovaret. Viri sapientes justa, & condigna singularis literaturæ celebritate, atque existimatione præclari, fascibus admotis, plurimorum sæculorum tenebras, accurate, atque exquisite diflarunt. Percurrat Alumnus priscorum temporum de Jure Pontificum Scriptores; percurrat novos, recentioresque.

En V. C. paucis expreſsum quid sentio de Alumni tui negligentia in complectenda Juris Pontificum disciplina. Parvula hujus negligentiæ, atque inepta momenta veluti uno digito attigimus, uberius quidem exponenda, nisi

Digitized by Google

192



niſi me abuti patientia tua timuiſſem; atque proinde ne Tibi ingratus eſſem, & moleſtus, dum certe gratum, ac officioſum eſſe contendo. Majora certe quidem argumenta nauſeantis hujus neglectus, odijque quaſi dixiſſem in Sacrorum Canonum ſcientiam habeo, tuiſque ex literis collegi; verum ea præterire juvat. Nihilominus hoc unum, nequaquam prætermittere ſum arbitratus; quod propterea loco poſtremo commemorandum crediderim, veluti velaminum, ſeu excuſationum hujus negligentiæ apicem, floremque lectiſſimum, nullo unquam tempore (jactantiſſime Alumnus) interempturum. Juris Eccleſiaſtici ſtudium neglexit, atque ab eo refugit, non imbecilitatis conſcientia, non inertia, ſed quia Jus humanum (quod nunquam de Sacræ Theologiæ ſtudio, inquit, dictum legimus) vel ab ipſis Pontificibus Maximis appellatur.

Jus Pontificum, quod viri doctrina ſimul, ac pietate perilluſtres colunt, venerantur Principes, Summates laudibus efferunt, hereticorum iracundiæ, calumniæ, ac livoris aſſultibus obnoxium eſſe, nihil profecto mirum; immani etnim quadam rabie, non veritatis perquirendæ, ſed partium amore ducuntur; relictaque modeſtia, & cauſa publica, omnia fere miſcent; Pontifices, & Pontificios, ut ipſi dicunt, inſectantur. Verum quod ambitioſæ, ac ſuperbæ viri Catholici negligentiæ



Digitized by Google

pateat ; mirum omnino , atque intollerabile .

Humanum etiam ipsi Pontifices Maximi dixerunt Jus Canonicum , atque ab hominibus constitutum , non tamen ex humana , sola , atque naturali ratione ; verum a Legis Divinæ , ac Moralis Fonte, Spiritus Divini peculiari assistentia , mandatoque , recte , & sapienter deductum ; atque propterea non raro Divinum appellatum . *Sanctos Ecclesiæ Canones , quæ a sanctis quatuor Conciliis expositi , & confirmati sunt* ( unisum nempe illius ætatis Canonum Codicem ) *vicem legis obtinere , & eorum Decreta perinde , ac Sacras Scripturas suscipi* ( 27 ) A Patribus , Sacrisque Conventibus conditi sunt Ecclesiastici Canones ; atque ab illa potissimum maxima Dignitate , quæ vicariam in terris sustinet Supremi Numinis Majestatem : quæ in Religionis quasi domicilio , & Orbis Catholici Arce constituta ; inde Sacras Leges Populis , & Sancta Jura distribuit . Magnum sane , ac ferme singulare , minime difiteor V. C. est Alumni tui ingenium ; verum , sua pace , prudentiæ gravitas ei , ac maturitas deest ; & ingenij celeritas consiliorum pondere haud equidem temperata . Sensatis Majorum exhortationibus haud obsequens , imprudentissime fecit Alumnus . Hinc Sacrorum Canonum inscitia ad Studij Theologici perfectionem , prope fatalis : hinc ignorantia onerum Periti Juris Pontificum ,

qui-

Digitized by Google

quibus vel leviter cognitis, nequaquam obstupuisset, si Pontifices Summi Jus Canonicum humanum aliquando dicunt.

Norat Alumnus oportet, quod in Juris Pontificum Codicibus, humili quidem, sed speciosissimo Canonum nomine, infinitæ propemodum Ecclesiasticæ Leges, Decreta, Decretalesque Epistolæ vagantur. Digne quidem, atque *juste*; nam Ecclesia Mater eas omnes sanxit, suaque auctoritate proponit, exhibetque nobis. At vero prudenter animadvertere, atque attente intueri, unde vim potissimum trahant, & a quo fonte originem ducant; munus est, quod remitti non potest, Circumspecti Sacrorum Canonum Periti, Virique Theologi, si eorum doctrina, atque auctoritate utantur.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica, quamplurima, & maxima, Juris Pontificum Codex profert: de Libris Divinis, ac Traditionibus: de his, quæ ad Honorem Dei, Cultum, Religionemque pertinent: de moribus, vita, honestate, gravitate, ac decentia status Clericalis, sive Sacrorum Ministrorum: de rerum Sacrarum dignitate, atque reverentia: de his, quibus Christiani pietatem, Religionem, aliasque virtutes collere jubentur: de Baptismi suscipiendi præcepto: de ordinario Sacramenti Confirmationis Ministro; de his, quæ in Sacrificio Missæ offerenda sunt: de Confessionis



Digitized by Google

faciendæ necessitate : de Ministro Sacræ Ordinationis : de Ministro Extremæ Unctionis : de non solvendo Matrimonio ob alterius conjugis adulterium, vel alterius Conjugis lapsum in hæreseos Crimen : de una, & simul pluribus uxoribus : de Pactis : de Simonia : de Usuris : de Furtis : de Homicidio : de injuriis.

Nec modo hos dumtaxat Canones, verum & alios quam plures complectitur : de Ecclesiasticis Ordinibus : de Ecclesiasticorum Judiciorum disciplina : de Irregularitate : de Inquisitione facienda antequam initietur quisquam Sacris Ordinibus : de redditibus Ecclesiaticis : de vetita translatione de sua ad aliam Ecclesiam : de vitandis Excomunicatis : de Censuris.

Insuper & alij memorantur Canones *in Dyptyca* Ecclesiastica, sive in Codice Jurium Ecclesiasticorum : de Episcoporum successione : de jejunio ad Sacram *Synaxim* præmittendo : de Quadragesimali jejunio : de observatione jejunij quatuor temporum ; de ritu exorcizandi Baptizandos : de Ordinationum præstitutis temporibus.

Alij quoque occurrunt Canones : de regulis in seligendis Ministris : de Servis in Clericalem Ordinem non adscribendis, nisi a Domino libertatem fuerint consecuti : de Clericorum Cælibatu.

Tandem, & qui sequuntur Canones : de Paschali communione : de annua peccatorum confessione : de Festo-

rum

Digitized by Google

rum dierum, & quorumdam jejuniorum observatione: de Missæ auditione: de quotidiana Divini Officij recitatione: de rerum, & Jurium Ecclesiasticorum distributione: de Ordine judiciario: de Ecclesiasticis negotijs, alijsque fere immensis.

Omnia quidem jura hæc sunt, Decreta, Decretales, Epistolæ, Canones, quorum dignitatem quam humiliter colimus, amplissimæque eorum auctoritati obsequiosi adhærentes; attamen non ex uno, eodemque fonte promanant. Id omnino scire, atque probe intelligere prorsus necessarium esse, edocent sæpenumero, non sine gravissimis magnorum virorum testimonijs, magistri Expertissimi, ac Doctores insignes. Quin vel ipsa cavillationum caliditas, rationesque subdolæ, quibus Juris Ecclesiastici Peritum, fidei Catholicæ, & Sacrorum Canonum hostes circumdare, atque coarctare conantur; necessitatem hanc facile insinuant. Hinc vides V. C. qua sapientia Juris Pontificum Professor instructus, ornatusque esse debeat, qua multiplici eruditione, qua literarum, ac doctrinarum ope, ut evidentissime colligendo judicet: num Canones originem trahant a jure Divino positivo, vel naturali, quod Christi Ecclesia, sua auctoritate, plene, præcise, perfecteque explicando, præcipit; & præcipiendo explicat; num ab Apostolorum Scriptis, aut ore traditis, vel ab eorum gestis; num



Digitized by Google

denique a Supremo Ecclesiæ Pastore, ac Moderatore; num a Sacris Conventibus, & quibus, vel a Sanctorum Patrum, aut aliorum scriptorum sententijs. An non Vir Theologus, licet humanum nonnunquam Summi Pontifices dicant Jure Pontificum indiget?

Nec Satis Canonum Perito, si tanta circumspectione, severa pariter, atque rigida observatione, distributioneque res persequatur suas, nisi peculiari quodam suæ mentis conatu, suæque sapientiæ pondere curet, ut totus in hac distinctione sit occuleus: num videlicet Canones ad interiorem, vel ad exteriorem disciplinam pertineant. Distinctio, quam nunc attingimus, Perito Sacrorum Canonum, aut Viro Theologo, eorum auctoritate, atque præsidijs utenti, adeo necessaria est, atque a suo officio indissociabilis, ut nunqnam deteriore loco res suas fore arbitrentur, si eam negligant; nunquam meliore, quam si præ oculis eam perpetuo habeant. Miranda hisce de rebus, atque ferme portentosa cripserunt Clarissimi, Celeberimique Theologi, ac Jusis Pontificum Periti, quos supra comendavimus.

Serio hæc attendens Alumnus, facile, fortunateque intelligat, quos Canones intuetur Summus Pontifex, quando Jus Canonicum Juris humani titulo nuncupat. Equidem Supremus Ecclesiæ Doctor Innocentius III. Jus Pontificum, Statutorum humanorum (quæ Grego-

rius

Digitized by Google

rius IX. jura positiva dicit ) vocabulo appellans; Canones, licet divino Spiritu adassistente conditos, ad exteriorem disciplinam pertinentes, excelsæ suæ mentis amplitudine contemplatur. Verba sane faciebat de quibusdam affinitatis impedimentis, quæ mutationi obnoxia esse, dubitat nemo. Hinc more suo, hoc est doctissime, ac sapienter scripsit: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit*. Nunquam certe interioris disciplinæ Canones ( nec facile immutandi, neque adversis moribus, neque contraria consuetudine tollendi ) eo nomine, vel titulo designat. Quin: *Canonica Instituta: nervum Ecclesiasticæ disciplinæ: Ecclesiasticas institutiones* ille Pontifex maximus; *Sanctorum Patrum institutiones Alexander III.* compellant. Ad eos Sacratissimos interioris disciplinæ Canones, eorumque perpetuam firmitatem, atque immutabilitatem respiciens Zozimus Sanctissimus Pontifex in Epistola ad Episcopos Vienensis Provinciæ, hæc perenniter memoranda, literis mandavit. *Contra Statuta Patrum concedere, vel mutare, ne hujus quidem Sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam*. Idipsum Supremi Ecclesiæ Pastores Alexander III. Cælestinus III.

ipse-

ƞ oc



ipſeque Innocentius III. æque ſentiunt, & conſtantiſſime ſervarunt.

Enunciatæ, & quam vehementer neceſſariæ diſtinctionis, ac diſtributionis (opportuniori tempore copioſius enucleandæ) negligentia, atque ignorantia; haud ſatis ſcio num Eccleſiæ Dei magis noceat, quam vel manifeſta Sacrorum Canonum doctrinis aliquapiam oppoſitio. Quam ingentem inordinationem, confuſionemque in utroque ſtudio gigneret, produceret, promoveret? Quam infeliciter ſtudioſi operam utrique diſciplinæ navarent? Dificile ad fidem eſt, & niſi hac de re apud ſapientes, doctos, & expertos quis verba faceret, cenſuram illam, graviſſimam, & injurioſam non evaderet: *exuperantia nempe, & exceſſu, imo etiam mendatio, ad verum verboſus iſte venire contendit.* Omnia miſceant neceſſe eſt, perturbent, easque ſyrtes, & ſcopulos edificent, ut vel Peritiſſimi huc illuc errare coacti, facile interdum offendere poſſint, circum reſque nectat; quapropter commotiones, turbationes, ambagesque diſciplinis pacatiſſimis, placidiſque, ac tenebras ita obducentes, ipſis eis in tenebris veritatem, quantumvis clariſſimam miſerrime abſcondunt.

Quamvis Summus Eccleſiæ Catholicæ Rector, poteſtate quidem Petrus unctione Chriſtus: quamvis Sacroſancti Conventus, quin vel unus in ſua Diœceſi Sa-

cer-

Digitized by Google

cerdotum, & Pastorum Princeps; auctoritate, quam a Deo acceperant, Decreta sapientissime sanciant, atque in ea contumaces culpa teneantur, putas ne V. C. si optime & funditus animadverterent, atque necessario præfatæ distinctionis præsidio cum serietate considerarent Sacrorum Canonum præcepta (permulta alia, & forsitan majora, liceat nunc præterire) de vita, & honestate Clericorum, eorumque moribus, Religione, gravitate, dignitate, decentia de ab eis insolubili virtutum, puro, atque defæcato exemplo: pietatis præsertim solidæ, sinceræ omni fuco expertis, ingenui nimirum, candidique animi fœtus abhorrentis ab omni pompa, atque ostentatione virtutis, & probitatis: de irreprehensibili denique Vitæ, Officij atque Ministerij tenore, & instituto; quæ auctoritate quidem Ecclesiæ nobis indicta sunt, verumtamen non ideo Ecclesiastica tantum, sed omnino suis principijs Divina, atque naturalia; quorum adimpletionem præcipiens Ecclesia, una simul explicat, atque adimpletionis tempus, locum, cæteraque adjuncta, recte, provide, ac prudenter determinat; putas ne, inquam, locum fuisse gravissimis Gregorij, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Isidori Pelusiotæ, Bernardi, Anselmi, Concilij Niceni II. Lateranensis sub Innocentio III. Londinensis,

Tru-

Digitized by Google

Trulani, Tridentini potissimum, aliorumque Patrum & Conciliorum monitis, adhortationibus, Præceptis, dulcissimis exprobrationibus (ne pœnas, censurasque in medium afferamus) & invectivis (28) recta petentibus Armorum gestationem Clericis, Venationemque vetitam, Alearum ludos, Chartarum, atque Taxilorum; exercitia chierurgica, Popinarum ingressus, Cohabitationem, conversationemque cum Fœminis, Spectacula, Comessationes (quid homo garulus, multiloquus; & sæculo culparum fœcundo fortasse deditissimus hic interpellat; non ignoramus. Vetustissima, inquit; hæc sunt, antiqua, evacuata, & obsoleta; diversa hæc sunt tempora, diversique mores. Quæ desperata bone Deus & lugubris miseria! quæ intolleranda hominum ignorantia! Jus naturale, atque Divinum, a quo Canonica hæc præcepta emanant, vetustissimum, simulque & novum est; semper idem, & immutabile; quod recta intuentes linea Tridentini Patres, Sanctum illud verendum, atque sollemne Decretum de renovandis Canonibus de Vita, & honestate Clericorum, quin ad eorum observantiam compellendis omnino Clericis, sapientissime sanxerunt.) Ebrietates, Choræas, Sæcularia negotia Sacram Tonsuram, Clericorum vestitum, modestiam in omni compositione, gestuque corporis; moderatio-

tionem; brevissime demum: convenientia omnia, vel ex adverso indigna Clericorum, & Sacerdotum statui, quo ex intentione Christi atque institutione, nihil venera bilius, nihil divinius vel cuicumque sanctiori viro. Recte quidem, & merito, nam deinceps inde: ex eorum nempe mandatorum abominabili negligentia, ac damnatissima contumacia Sacer Caracter de-honestatus, ejusque sanctitas obscurata: Fideli, atque infideli populo scandalum, fatalis Sacrorum Collegiorum casus, Clericorum opprobrium: Putas ne si consideratissime expenderent, quod ibi Ecclesia Mater Jus naturale, atque Divinum amplissima sua veneranda auctoritate jubendo explicat, declarat, ea profecto declaratione, quam ab Apostolis accepit: *Ecclesia ab Apostolis*, scribit Tertulianus, *Apostoli a Christo*, *Christus a Deo*, *quod accipimus ab Apostolis*, *hoc sequimur* S. Stephanus I. Pontifex maximus, & inclytus Martyr testatur; putas ne, iterum dico, quod tanta, tamque sæva; & acerba infortunia statui Ecclesiastico Christianæ pietati, Religioni, atque sacro ministerio indecora, ignominiosa, vel ultimo luctu digna in orbe Catholico essent? Nec Elephantum e musca facio, vel hæc fortasse confingo, vel temere scribo. Res in medio sunt, hominumque facta, quæ utinam nullo modo essent, & homines aliquando saperent, & intelligerent. Sed hactenus hæc. Sentio enim me forsitan Epistolæ modum, quin & stilum ex-

Digitized by Google

excessisse. Norat Alumnus ille tuus quantum Sacræ Theologiæ studiosus Juri Pontificum debeat; atque vicissim quantum Theologicæ Scientiæ Juri Pontificum operam navans. Quantum sit ponderis ad perfectam absolutamque eorum notitiam capessendam, reciproca utriusque Facultatis necessitas. Atque ut parem se tanto muneri, ut jam ab initio ferme diximus, probet noster Theologus, Parem Sacræ Disciplinæ providentiam exhibeat, necesse est, quam certe nullo pacto exhibebit satis, nisi Juris Pontificum sapientiæ incumbat, quemadmodum pariter, minime exhibebit ad sufficientiam Juris Pontificum Studiosus, nisi Sacræ Theologiæ mente, ac diligentia adhæreat. Firma igitur, & constans esto Theologorum sententia, quam & sæpe laudavimus, & nunc iterum referre arbitramur (29) quod Juris videlicet peritiam omnino Theologus habere debet, ut Theologi nomen mereatur; & qui Juri Canonico operam navant, Theologiæ itidem operam navare debent, ut vere dici possint Juris Canonici Periti. Decipitur quandoque Theologus, decipitur, & Juris Pontificum Peritus, & qui accutissime videntes, immortali oculorum acie cuncta pervadere, ac rimari aliquando arbitrantur; cæcutiunt interdum, ac sibi simulantes, sua falluntur opinione. Tunc tandem falluntur, cum se credunt, alterutra neglecta scientia, sua sibi propria tantummodo, ac peculiari, munus impositum cumulatissime obire.

*Te-*

Digitized by Google

205



*Teſtimonia, Documenta, atque Auctoritates, Quæ in Opuſculo allegantur.*

EOrum eruditionem, & quæ bonæ frugis ſunt lubentiſſime ſequar. Nunquam præjudicata dogmata, quæ Romanam ſubjerunt cenſuram, ut alibi in opuſcolo, ſum profeſſus.

1 Cap. 4.

2 Magiſter Sententiaru m lib. 4. diſt. 19. Scientiæ Prælatis accommodatæ peritiam exhibens.

3 Id palam facto profitentur poſt S. Raymundum de Pegnafort, & S. Thomam, Silveſter, Navarus, Henriquex, Zaymanus, Joannes Andreas, alijque allegandi.

4 Anno ab humana reparatione 397.

5 In cap. 2. Agæi.

6 Epiſt. 3.

7 De jure Sacro lib. 1. cap. 20.

8 Lib. 2 de Stat. & Planct. Eccleſiæ cap. 20.

9 Lib. 8. de Loc. Theologic. cap. 6.

10 In Proem. Comment. in Decret. Gratiani.

11 Pagmatic. Sanctio. Tit. de Col. Ss. Ord. in fin.

12 In Reſponſis ad Bulgaros.

13 Cap. quia nonnulli de Magiſtris.

14 *Repertantes finem fidei veſtræ ſalutem Animarum.*

Digitized by Google

20b



*rum*. *S. Petrus Epistol.* 1. cap. 1. *Unam petij a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini*. Psal. 26.

15 Apud Gratianum 25. quæst. 1. cap. 9.

16 S. Irenæus lib. 4. cap. 26. S. Leo Magnus Epistol. 62.

17 Descriptio est celebris Joannis Doviacii Præn. Canonic. lib. 1. cap. 6. n. 17.

18 Trident. Sess. 23. cap. 18. de Reform. & Sess. 24. cap. 16. de Reform.

19 Hæresum Historia Ermant. Curati Malt. Tom. 2. pag. mihi 229. Maimburgus, Bossuet in Historia Variationum &c.

20 Hæc, & proxime sequentia ex infinita pene, atque diversa concertationum de Religione, disputationumque serie apud Scriptores hic n. 19. laudatos; quibus adde Thomam Bayli Anglicanum lib. cui Tit. Controversiarum Finis.

21 Præter Doctores Orthodoxos; ipsemet Beza (ingenue etiam laudatus Bayli refert) Vuhitgift contra Cartuuright. Episcopi Protestantes in Defensione Confirmationis, Absolutionis, Signi Sanctæ Crucis; & scriptis, & facto, Traditionis præsidio constantissime utuntur.

22 In institution. juris Canonici.

23 No-

Digitized by Google

207



23 Novit lib. 3. S. hic Pater ad Romanam Ecclesiam ab omnibus Mundi Ecclesijs recursum habendum; non tantumodo propter ejus principalitatem super omnes Ecclesias; verum quoniam custos, & conservatrix fidelissima ipsa est Apostolicarum Traditionum, quemadmodum omnes, inquit, Christiani in toto Orbe viventes fatentur. Eedem sentimus, & confitemur cum SS. Cypriano, Augustino, Hieronymo, Prospero, Beda, Bernardo, cæterisque Patribus. Tandem cum Tertuliano apud Thomam Bayli Disp. 4.

24 Id ingenio vel rudi facile colligere licet e Lutheri lib. contr. Anabapt. Calvini inst. lib. 4. cap. 2. & in Gratulat. ad Pros. in 2. Thes. lib. 4. Baro Serm. 4. Sect. 3. Morton. Appel. lib. 4. cap. 2. Spolatenis. l. 1. Field. de Eccles. cap. 2. Vghit. confr. 4. 7. 9. & alibi Pless. de 8. Eccl. cap. 1. Orat. 1. & Epistol. Monit. jacob. Reg. Britan. Serarja. Defens. lib. de Grad. Minist. Poter. in Resp. ad Char. Aliique permulti, quos recitat semper veneratus Bayli.

25 Vide quos exhibet Joan. Clerc. sed multa cum circumspectione legenda.

26 In suo haud exiguo volumine: *Pseudo-Isidorus*.

27 Justin. Imperator in Novel. 31. L. Sacris 45. C. de Episcop. & Cleric.

28 Addesis cap. interdixit dist. 32. cap. volumus,



Digitized by Google

208



cap. in omnibus, cap. clericus, cap. clerici dist. 81. tot. Tit. de Vita de honestate clericor. cap. a Nobis de cohebit. Clericor. cum Mulierib. Constitutionem Sixti V. cum Sacrosanctam an. 1589. & ibi Sac. Congr. Concil. an. 1677. in una Bituntina. Pontificale Romanum. Concilia Nattonalia, Provincialia, præter Synodos, ferme innumera, Concilia Oecumenica, ex quibus Decreta in corpore Canonum. Tertulianum de corona Milit. cap. 5. S. Cyprianum de Singularitate Clericor. Edictum Walrami de Juliey. Archiepiscopi Coloniensis an. 1337. Theodulphum Epist. Præsbyteris Aurelianensibus cap. 12.

29 Scriptores Theologi, qui de Locis Theologicis egerunt, quos inter Melchior Canus, a quibus quantum valeat argumentum a juris Canonici Peritis deductum, optime novimus.

*FINIS.*

NOI

Digitized by Google

209

# NOI RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

*AVendo veduto per la Fede di Revisione , ed Approvazione del P.* F. Gio: Tomaso Mascheroni *Inquisitor General del Santo Offizio di* Venezia *nel Libro intitolato:* Paulus Stephani J. V. D. de Sacrorum Canonum usu in rebus Theologicis ad virum Claris. Michaelem Dioclesium M. S. *non vi esser cosa alcuna contro la S. Fede Cattolica , e parimente per Attestato del Segretario nostro , niente contro Principi , e buoni costumi , concediamo licenza a* Demetrio Teodosio *Stampator* di Venezia , *che possi essere stampato , osservando gli ordini in materia di stampe , e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia , e di Padova.*

Dat. lì 13. Luglio 1795.

(
( ZACCARIA VALLERESSO RIF.
( PAOLO BEMBO RIF.

*Registrato in Libro a Carte 569. al Num. 14.*

Marcantonio Sanfermo Seg.

*15. Luglio 1795.*

*Reg. nel libro a carte 186. del Mag. degl' Illustriss. ed Eccel. Sigg. Contro la Biestema.*

Antonio Gabrini Seg.

33 945339

Digitized by Google